

CAROLI SIGONII
DE ANTIQVO IVRE
POPVL LI ROMANI
LIBRI VNDECIM,

AD ILLVSTRISS. ATQ. EXCELLENTISS.
D. IACOBVM BONCOMPAGNVM
GENERALEM S. R. E. GVBERNATOREM.

Quorum alij renouati, alij prorsus noui eduntur, ut auersa pagella declarat.

In eisdem rerum, & verborum index copiosus.

CVM PRIVILEGIO PONT.



BONONIAE,
Apud Societatem Typographiæ Bononien.
MDLXXIIII.

Curia Episc. & S. Inquisit. concessu.

CAROLI SIGONII DE ANTIQVO IVRE CIVIVM ROMANORVM

LIBER PRIMVS.



Ad Pont. Max. Pium IIII.



EVV humanarum, BEATISSIME PATER, magna
varietas est, incredibilis inconstantia. possumus hoc
tum omnibus in artibus, hominum ingenio, industria-
que parris, facile notare, cum orientur aliae, aliae ve-
ro occidant, quæq; modo floruerint, nunc obfolescant:
tum maxime in vniuersa imperij, ac reipub. ratione
animaduertere. Quæ enim homines ad hominum so-
ciatatem conciliandam, perpetuoq; tuendam excogi-
tarunt, uix tamen ea satis non modo ad æternitatem,
verum etiam ad diuturnitatem firma adhuc inuenta sunt. Etenim ut corpora
nostra cernimus alia externa ferri impulsione, iactuque perverti, alia intesti-
na humorum dissensione interire, pauca quædam naturali confecta senio con-
tabescere: sic ciuitates partim hostilibus armis affictas, partim domestico se-
ctionis morbo, quasi occulto quodam veneno, ante senectutis maturitatem
consumptas licet intueri. Quod aliarum terump. non obscure, clarissime ue-
to Atheniensium, & Romanorum, florentissimarum quondam ciuitatum,
exempla restantur. quorum illis Philippi, atque Alexandri, his Cæsaris, at-
que Augusti inimica potentia, utrisque intestina perditæ cuiusdam luxuriæ, at-
que auaritiæ uis, ne diutius possessam pertot sœcula libertatem retinerent,
impedimento fuerunt. Quod autem multo etiam miserabilius, atque accer-
bius est, non vetus modo Romani imperij ius, quod antiqua virbis, ac ciui-
tatis maiestate continebatur, sed eiusdem etiam memoria nobilissimis annalium
monumentis impressa, fere omnis intercidit, ita ut neque iura, neque
leges, neque instituta, neque omnino ulla antiquæ reip. forma iam supersit.
Accedit, quod diuersa naturæ conditio per eosdem homines ea commode in-
staurari non permittit. Ut enim non ab ijsdem & imperium partum est, & im-
perij memoria litteris consecrata, sic nec per eosdem simul & vetera imperij
iura commode restitui, & eorum cognitio litterarum ope reuocari uidetur
posse. ad eam enim rem virtus, ac sapientia, ad hanc studij quædam assidui-
tas, perpetuaque opera, ac diligentia requiritur. Itaque qui obsoletam pro-

CAROLI SIGONII
DE ANTIQVO IVRE ITALIAE
LIBER PRIMVS.
AD SENATVM POPVLVMQ. ROMANVM.



VID caussæ sit, quam obrem, cum innumerabiles prope ab hominibus artes ad hominum usum inuentæ, ac posteris proditæ sint, nulla tamen vel præstantior unquam, uel nobilior habita sit, quam quæ militaribus instructa præceptis varie se bellicis in studijs apud homines commendauit, merito maximam semper habuit dubitationem, cuius qui acutius exitum expedire doctissimi, ac prudentissimi viri uoluerunt, eam potissimum afferre caussam soliti sunt, quod ab hac una ubiores perpetuo, atque illustriores, quam ab omnibus alijs commodorum, & gloriae fructus ad vitam hominum permanarint. Quod quidem ure traditum esse, nobis quoque cum rerum præsentium statum, ac quotidiam uitæ consuetudinem intuemib[us], tum uero præteriorum temporum memoriam, atq[ue] antiquissimorum populorum præclara facta animo repetentibus plane uidetur. neque enim ullam aliam uim, ac facultatem aut furentes finitimarum populorum impetus aliquando retardasse, aut sanctum libertatis patrimonium aduersus nefarios hostium conatus defendisse, aut denique pacis omnium uirtutum, unde nostra est perfecta beatitudo, alumnæ grauiorem iudicē, ac custodem fuisse inuenimus, quam ipsam armorum tractationem, omnemq[ue] rei militaris, ac bellicæ disciplinam. ex quibus tum diuturna incolumitas, tum sempiterna prope ad nominis commendationem fama huius laudis studiosis ciuitatibus comparata est. Quanquam autem ea fere conditio, ac natura hominum est, ut his duabus quasi facibus animi, mentesq[ue] eorum ad res omnes aggrediendas facile accendantur, & in id se alacrius intendant, inde utilitatis, aut dignitatis spem ubiorem ostendit sentiant, non æque tamen omnes homines huius utriusque studij cupiditate afficiuntur, ac flagrant. alios enim animaducitere licet, totos in parandis opibus, & quousmodu[m] congregendis diuitiis occupatos, alios nihil aliud, quam de decore, & honestate cogitantes, atque hoc toto de genere ita sentientes, ut nihil esse in vita utile, quod à dignitate seiuinctum sit, arbitrentur. cuius prope heroicæ virtutis magnitudine qui priscis temporibus excelluerint, haud sive multos numerare ex omni memoria possumus, ætate vero nostra, multo etiam pauciores, sit enim nescio quo modo, id quod grauius videtur esse dñendum, vt paullarim cum hominum ætate mirifica illa priscæ virtutis indoles consenserat, atque omnino antiqua laus illa sensim deficiens prope in dies vehementius contabescat. Ac mihi quidem hac de re saepius cogitanti cum vestri maiores Romani multis in rebus magni, atque admirabiles fuisse, tum uero in hoc studio omnem superasse hominum naturam, & conditionem videntur, quod ita bellicam disciplinam, & militaria studia tenuerunt, ac per-

CAROLI SIGONII
DE ANTIQVO IVRE
PROVINCiarVM
LIBER PRIMVS.

AD MAGNIFICVM VIRVM
IO. VINCENTIVM PINELLVM



Ecce, Io. Vincenti Pinelle, vir Magnificus non invitus, ut rerum Romanarum studium non mediocri a me quondam diligentia cultum, sed uarijs postea de causis intermissum hoc tempore reuocarem, quaeque de iure populi Rom. aliquot iam editis commentarijs scribere instituiscam, ea nunc demum opera repetita perficerem. Me uero, ut hoc facerem, cum res ipsa per se cognitione dignissima, tum tua in primis auctoritas impulit, quae in omni re merito semper apud me plurimam ualuit, quippe cum tu ira tecum, quae tua est humanitas, ageres, non debere me diuturniore eius studij operam recusare, in quo summi quondam philosophi, ac summo ingenio, summaque doctrina praediti, Aristoteles, & Heraclides industrie essent uerati. a quibus studiose non Graecorum solum, sed etiam barbarorum res publicae conquisitae, atque earum mores, & instituta diligenter hominum essent memoria consignata. immo uero eodem me uehementius oportere in hanc unam cogitationem incumbere, quod illi tenuiorum, atque obscuriorum ferè gentium iara inuestigassent, ego unius omnium clarissimae, ac potentissimae statum exquirerem; illi florentium tum populorum res omnibus exploratissimas tradidissent, ego iam prius mortui, & uix paucissimis in litterarum monumentis spirantis instituta obscurissima ab obliuione hominum, & silentio uiadicarem. Quamobrem feci, ut dixi, libenter, ut ad eos libros, quos superioribus annis de antiquo iure ciuium Rom. atque Italiz scripsoram, tertios hos de ueteri provinciarum iure adiungerem. quae una mihi disputatio desiderari posse videbatur ab ijs, qui perfectam ueteris populi Romani iuris notitiam requirebant. feci autem ita, ut, quod in superioribus etiam obseruavi, neque idoneum tantarum tradendarum rerum ordinem, qui mire tenere lectorem solet, prætermitterem, nec, quod auctori itaē doctrinæ summopere continet, quidquam interea non certo ueteri testimonio confirmarem. ut omnes intelligere possent, ad solidam huius laudem studij persequendam facultatem mihi potius aliquam defuisse, quam uoluntatem. Quod autem mea sponte propter summum meum erga te studium, tuamque constantem erga me uoluntatem eram facturus, ut aliquo te scriptorum meorum genere appellando, ueterem nostram necessitudinem notam posteris facerem, id mihi multo iustiore ratione in hoc libro retinendum esse duxi, ut, quod te potissimum hortatore opus ad exitum perduxisse, idem etiam manus hominum in tuo multo ornatusimo nomine darem. ut illud omittam,

quod

CAROLI SIGONII
DE IVDICIIS LIB. PRIMUS.
AD AMPLISSIMUM PRAESVLEM
CAROLI SIGONII
D E I V D I C I I S
LIBRI TRES.

AD AMPLISS. PRAESVLEM
IO. BAPTISTAM CAMPEGIVM

MAIORICENSEM EPISCOPVM.

